



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Præstanti Et Ervditione Et Pietate viro M. Burchardo Montano, S.
Theologiæ professori, Nicolaus Eschius præbyter S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

SOPRAESTANTI ET

ERVDITIONE ET PIETA-

te viro M. Burchardo Monta-

no, S. Theologiae professori,

Nicolaus Eschius præs-

byter S. D.



PS E nosti vir acutissime, quā-
ti prorsus referat in ecclesia Dei
codices extare cum primis pios,
vt qui spiritum Christi nobis ex-
primant inculcentque. Tales ve-
ro sunt, qui vel ab æstu vitiorum

& a mundi strepitu nos ad poenitentiam reuo-
cant, qui primus gradus est pietatis: vel docent
mortificari membra nostra super terram, & ab
ipsis etiam affectibus animum eximere, quod
est regnum cœlorum vi rapere: vel nos carne
iam vtcunque mortificata erigunt ad intelligen-
dum amandumque spiritum Dei, cui nos totos
in omnibus dedamus. Quod fieri certe non po-
test, nisi sanctis meditationibus & quam pluri-
mum internis ad Deum aspirationibus pijsque
desiderijs primum exerceamur, ita vt nobis ad-
manum sint certa quædam, vt vocant, exerci-
tia spiritualia, quibus adiuti non modo men-
tem ab euagationibus cohibeamus, sed etiam
sanctis cogitationibus excolamus. Etenim ces-
sante profectu, confestim diminutio subsequa-
tur necesse est, cum in vno eodemque statu
mens nostra consistere non possit, hoc est,
vt nec augmenta virtutum capiat, nec detri-
menta sustineat, Quamobrem irremissa cura
a ij non

non solum ad virtutum studia semper extendi nos conuenit, sed multo magis aduersus illa vitia, quibus potissimum infestamur, perpetuo magna vi decertandum est. Fortior quippe militat in mēbris nostris oblectatio carnalium passionum, quam studia virtutum. ¶ Et vt recte iam decertemus (Est enim hominis vita militia super terram) primum nobis ipsis quam intime cogniti sumus, oportet. Latent plerunque multorum vitiorum affectus in nobis & semina, quæ sicut ægre sentimus, ita vix vnquam extirpamus. Quin etiam (proh dolor) plerique nostris vitijs volentes ac scientes adblandimur, indulgemus, addimus & fomenta, neque multis annis ad virtutem vnã gradum facimus, nec vitio cuiquam (nisi quod apud homines fœdum forte sit) bellum indicimus. At sane si Deo optimo maximo plane non execrabiles haberi volumus, indies magis magisque cordis nostri secreta penetrabimus, vt quo quidque affectu, quo spiritu, qua intentione fiat, & in verbis & cogitationibus & consilijs & in operibus exploremus. ¶ Quanquam non ignoro, ne a paucissimis quidem hæc tam iusta impetrari posse. Nam ea nunc viuendi consuetudo est, vt nemo non ad multitudinis exempla respiciat, quæ nullum viuendi tenet ordinem, atque non tam ratione ducitur, quam quodam impetu fertur. Quoruscumque non peccantium ducitur multitudo? Quem quæso pereuntium turba non sollicitat, vt cogitet. Quid? Ergo omnes peribunt? At at nihil prorsus agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus, et ad consolationem nostram aliena sæpe vitia numeramus, quasi vero nobis desint quos imitari debeamus.

amus. Et vt hi desint, ad illorum exempla imi-
timur, quos ibi fatemur imitandos, non modo
Christum, sed & apostolos, sed martyres, sed vir-
gines, sed iuuenes & puellas, cuiusmodi per cal-
catas mundi opes contemptisque carnis illece-
bris regnum Dei rapuerunt, sed prius etiam lu-
dibria & verbera experti, insuper & vincula,
& carceres, tum egentes, angustiiati, afflicti, a-
spicientes in autorem fidei, & consummatorem
Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit cru-
cem, confusione contempta. Igitur & nos im-
properium eius portantes, cur obsecro ad eun-
dem potius extra castra non eximus, quam illos
imitari pergimus, qui sub Christiano nomine
vitam agunt mundanam, & aliud professione,
aliud conuersatione testantur? ¶ Sed hoc stu-
dium vt maxime Christianis necessarium est,
ita nunc in postremis habetur, vt etiam proin-
de mystica Theologia vitæque contemplatiua
vix paucissimos hodie sui cultores obtineat. In
causa est, quod hæc mentem requirat a vitij pu-
ram, et mortificationi propriorum desideriorum
intentam, præterea quæ spiritualium rerum co-
gitationibus & curis velit exerceri. Adeo nec
mirum existimari debet, quod literatis etiam vi-
ris hoc studium & rarum & insipidum habeatur,
vt pote quibus nimium graue est (vt ipsi iu-
dicant) mentis quietem affectuum mortificatio-
ne comparare: cum tamen fieri non possit, vt pri-
usquam ab omni pondere sese mens exemerit, in
autorem Deum libere subleuetur vel ignescat.
Id ipsum vero quam in immensum voluptatem
suauitatemque omnem excedat, is demum nouit,
qui accipit. Accipit autem, qui iuxta Christum
paruulus & pauper spiritu perseverat; qui rur-

a iij sus,

sus, iuxta Sapientem, miseretur animæ suæ, placens Deo, & continet congregatque cor suum in sanctitate eius. Id faciebat Propheta, dum meditaretur in lege domini die ac nocte, dicens illud confidenter ad dominum: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Nec huic dissimilis Esaias, qui dixit: Super speculam domini ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Quid ergo mirum, si sub lege gratiæ Christiani (quorum sanctissima professio est) quietæ pacatæque mentis existant, & concaleant interioribus ipsorum corda, & in meditatione diuinorum exardescat ignis? Nimirum his proprium est, interioribus oculis in cœlum semper intentos orare: orare (inquam) spiritu pariter & mente, cunque psallendum est, psallere spiritu, psallere & mente secundum Apostoli sententiam: quemadmodum & de Anna Samuelis matre legimus, quod multiplicans preces coram domino loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Effudit enim animam in conspectu domini. Quâto iustius post tot accepta diuinæ gratiæ beneficia, nunc absorbere nos poterat ardor contemplandi, ut interim quæ sensibilia sunt, & ad cultum corporis pertinent, veluti prophana negligere, omniaque seu stercora reputare, ob vnū Christum nobis lucrifaciendum, qui est pijs omnia in omnibus. ¶ Cur vero mirandū id putes in homine Christiano, si philosophus vere pietatis ingnarus, aucupandæ tamen momentaneæ gloriæ causa non minora præstabat? Certe Anaxagoras hæreditaria prædia contemplationis gratia fortissime contempsit. Carneades tanta ad id quod

quod mente conceperat, intentione ferebat, ut ad mensam sedens, non cibum potumque sumere, non sumptum in os ferre meminisset, nisi Melissa comitum apprehensam leniter dexteram ad obsequium neglecti corporis retulisset. Archimedi vero tanta ingenii cura oculos atque aures concluderat, ut cum studio amitteret pariter & vitam, mortemque neceret sopori contemplationis, et quidem vanam contemplationis. Est apud Platonem quoque, sacerdotes Athenis, qui publico donabantur grege, a populo separatos vivere consuevisse, ut ne vlla contagione vel illorum castitas pollueretur, vel contemplationis & studiorum quies interturbari posset: adeoque sacris intentos esse, ut mundi negociis omnibus curisque posthabitis, nunquam cognatos, nunquam amicos, & ne liberos quidem inuiserent, sed templo tantum presentes, naturalium rerum siderumque contemplationi postexplicata sacra totos animos intenderent: neque cibis crassioribus aut pinguius uti mos erat, sed vilissimis, ut hysopo, salignis, floribus & fabis (unde fabarum quoque dicti sunt) ut ita contemplationi, continentiae cantuque forent aptiores. Quid haec ad Christianorum delicias & luxum relata? Pudeat sane Christianum, pudeat Christo deuotum siue religiosum, pudeat (inquam) ipsis deorum ac potius daemoniorum sacerdotibus esse minus religiosum. Qui patri caelesti & Christo domino se debere gratias fatentur (ut fatemur omnes) pudeat hos meditationum & contemplationum sacrarum ignaros esse. Multo magis pudeat, si quod nesciunt, id iam vel hic discere suapte sponte recusent. Et quid facias istis, qui suas amant tenebras, oblatamque lucem auerfant? Discet olim suo malo, sed intempestiue discant, quod salubriter discere nunc detrectant.

Interim nō sum nescius, difficile videri, quod
animus euagabundus ad quietem & solitudi-
nem reuocatur. Nec diffiteor in hoc opus esse spi-
ritu, quem tamen petenti & quærenti minime
defuturum Christus ipse pollicetur. Si pugna dif-
ficilis, victoria speciosior, si labor molestus, mer-
ces copiosior. Ipsa dolorum multitudo consola-
tionum Dei magnitudine compensatur. Nec fru-
stra iam olim dictum & creditum est: Diffici-
lia, quæ pulchra. Quanquam nihil tam difficile,
quod vsu & exercitatione tandem non molliat-
ur, atque adeo non leue, iucundumque fiat. Ve-
tus est sententia: Diligenti opera, obtusitas quæ-
permollitur. Quid? An tam delicatus quisquam
esse potest, cui dura & molestum videatur cum
Christo colloqui, cum sanctis & angelis familia-
riter viuere, Christum si non admirari virum,
saltem conspiciari puerum, osculari infantem, co-
gitare humilem, audire docentem, & per omnia
denique Christum in auribus & oculis habere?
Nimirum vt huius natiuitatem, circumcisionem,
apparitionem, oblationem, exilium, obedientiam,
baptismum, ieiunium, prædicationem, mira-
cula, beneficia, passionem denique omnem re-
memoremus, quid obsecro difficultatis ingerit
Christiano? Ille tanta tamque extrema tui amore
tot annis pertulit o homo: & tu ingratus adhuc
esse pergis, vt vix cogitare digneris, quæ pro te
durissima sustinuit? Sane qui volet vel pa-
rum esse diligens, habet hic (vt ita dixerim)
præmansum cibum, habet copiosum iuxta ac
planum quendam campum, in quo veluti per
amœnissima prata discurret, & omne ge-
nus flores decerpat. Primum quidem, vt sei-
psum exacte contempletur, animæque suæ vires,
poten-

potentias, operationes & sensus perseruteur. Et
his agnitis, videat, quo pacto se totum & spiri-
tu & anima & corpore duntaxat in autorem De-
um referre debeat. Tum quibus modis vitæ &
passionis Christi beneficijs tam orando, quam
viuendo respondendum sit, quatenus humanita-
tis filij Dei merita nobis applicentur, nos purifi-
cent ac saluent, potissimum efficacia preciosissi-
mi sanguinis, quo mundi totius peccata delentur.
Præter hæc, quibus vijs per ipsam saluato-
ris humanitatem, in Dei sublimitatem assurga-
mus, ita vt per verum ostium Christum introeū-
tes saluemur, & ingrediamur & egrediamur, &
pascua demum inueniamus: neque tam ipsi vi-
uamus, quam Christus ipse viuat ac vegetetur
in nobis: vt nihil amplius illius imperio ac vo-
luntati in nobis repugnet, sed ipse nobis omnia
sit in omnibus, huic perpetuo & fideliter adhæ-
reamus, huius oris osculum longe præsentissi-
mum capiamus, & quam demum suauis ille sit
in diuinis illis amplexibus, intime sentiamus.
Quamquã non ignorem, nonnulla hic desidera-
ri posse, præsertim a nasutis lectoribus. Nec mi-
rum, quum apud patres etiã sanctissimos haud-
quaquam desunt, quæ citra negocium in calum-
niam rapi queant. Quãto iustius huic libro dan-
da est venia, sicubi non ecclesiæ quidem (a qua
nunquam recedit) sed Philosophorum scholis
alicubi dissonare videatur. Voluit enim autor
(quisquis is fuit) pia magis quam docta ac pha-
lerata proficere, potissimum quia simplicibus li-
ber scribebatur. A quibus cupidissime semper
exceptus hucusque fuit, vt saepe nouus per typo-
graphos recuderetur. Atque præter innumeros
probatissimi iuxta & piissimi viri contestantur,

a v libri

libri lectionem sibi mirum in modum subinde
profuisse. Postularunt igitur diligenter, vt huius
thesauri copia fieret etiam exteris, hoc est, vt
Latine traductus liber in manus omnium perue-
niret. Id nunc primum post multam multorum expe-
ctationem effectum est, nec est (vt dicere coepi)
quod libri autoritas idcirco periclitetur, quia phi-
losophicis & scholasticis subtilitatibus non for-
tassis vbiq; respondet, sicut in partitione viri-
um animarum factum quis queri forte potest. Sed
in huiusmodi locis commodum requirimus le-
ctorem & candidum, qui sic ista legat, vt hisce
tam sanctis meditationibus diligenter etiam as-
suefiat, Christumq; legendo totum induat. Quod
ad autorem attinet, quis hic sit, non refert expli-
care, quum hactenus nunquam se nominari pas-
sus sit (vt est omnis humilitatis & modestie te-
nacissimus) nihil prorsus ex hoc opere suo ven-
dicans, sed quicquid bonum & pium videbitur,
vni omnium auctori Deo ferens acceptum: ad
cuius gloriam hæc omnia congeffit, posteaquam
annis plurimis in hisce pietatis exercitijs admo-
dum se diligenter exercuisset. Quæ sane librum
vir celeberrime M. Burcharde nominatim tibi
dedicatum volui, vt pro tua incredibili eruditi-
one versionem istam iudicares, & ab æmulo-
rum calumnijs defenderes. Dominus Iesus omnem
seculi prudentiam e nobis profliget, ac sapi-
entissimam illam stultitiam suam inse-
rat pectoribus nostris, vt quæ tan-
tum ad ædificationem sunt,
mutuo conquiramus.
Vale.

INDEX